



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XIII. De Eo, qui cognovit Consanguineam Uxoris suae, vel Sponsae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62672)

- nem & can. Ita diligere cit. indubitate constar; quod, licet emancipati gradum liberorum amittant, nec ullum ex pristino vestigium retineant, §. Minus ergo 11. Instit. de Hæred. ab intest. §. 1. In omni 13. ff. de Adopt. tamen maneat ratio Honestatis: quæ uxorem, non patitur esse, quæ per adoptionem filia esse coeperit vel nepotis, §. Ergo cit. De tertia, quæ inter adoptatum & adoptantis uxorem intercedit, idem defumitur ex l. Adoptivus cit. pr. §. 4. V. Quidam; quod, licet non sit mater nec cognata, tamen novercæ habeat locum pr. cit. Secunda verò, quæ inter liberos adoptantis naturales & adoptivum contracta est, matrimonium inter eos non perpetuò, sed tamdiu solum dirimit, quamdiu adoptio durat, can. Post susceptum & clarius c. Unic. cit. Unde, patriâ potestate per adoptantis mortem & emancipationem filii adoptivi aut naturalis solutâ, inter eos conjugium consistere valet, §. Per adoptionem post can. cit. cum illâ solutâ adoptatus & filia naturalis frater & soror desinant, & iste extraneus incipiat esse l. Quin etiam cit. in fin.
12. Sicut inter adoptivum & naturalem filiam solutâ, sic durante adoptione matrimonium consistere valet. Primò, inter adoptantem & matrem adoptati; cum inter eos cognationem contrahi & conjugium dirimi, ullo Jure cautum non repe-
- riatur, Sylvester cit. q. 8. d. 2. & Navarrus Manual. cap. 22. num. 45.
14. Secundò, inter adoptantem & filiam adoptivæ filiam; quia ista non est in matris suæ; ac proinde neque in adoptantis transit potestatem, §. Femina 10. Instit. de Adopt. neq; ab isto censetur adoptata, arg. l. Si Paterfamilias 15. eadem Rubr. Sylvester q. cit. d. 5. & Sanchez cit. disp. 67. n. 35.
15. Tertio, inter adoptantem & filiam illegitimam filii adoptivi; cum hæc non sit in potestate adoptantis, §. Si adversus 12. Instit. de Nuptiis, cit. Covarruv. §. 15. n. 2. Sanchez n. 35. & Palao n. 14.
16. Quarto, inter adoptatum & filiam adoptantis carnalem illegitimam; quia ista nomine filia naturalis non venit, ex r. cit. neque est sub patria potestate, §. Si adversus cit. qua cessante adoptio, & cum ista cognatio ac matrimoniale obstaculum cessat, §. Per adoptionem 30. q. 3. Glossa in c. Unic. cit. V. Quamdiu Navarr. l. cit.
17. Quintò inter filium & filiam duorum fratrum adoptivorum; cum nullò cognationis vinculo sint conjuncti. Imò etiam inter duos adoptivos, cum; quòd id nullo Jure vetitum sit: tum verò; quòd matrimonium consistere valeat inter filium & filiam spiritualem, licet magis conjuncti sint, quam adoptivi. Ita cum Glossa in c. unic. cit. Covarr. cit. §. 5. in fine & aliis DD. relatis Diana p. 4. Tract. 4. resol. 121.



TITVLVS XIII.

De Eo, qui cognovit Consanguineam Uxoris suæ vel Sponsæ.

SUMMARIUM.

1. Peccans cum consanguinea uxoris, debiti ab ista exigendi.
2. Et contrahendi alterius matrimonij spem amittit: Ec 2
3. Licet

3. Licet uxore jam mortuâ cum illa peccet.
4. Peccans cum consanguinea sponsa, neque hanc,
5. Neque etiam aliam ducere potest, si illa primò gradu sit conjuncta,
6. Quamdiu complex vivit.
7. Eadem ratio est femina cum marito aut sponsi:
8. Et secundum aliquos cum propriis consanguineis peccantia.
9. Verius impedimenta illa hòc incestu non contrahuntur:
10. Imò neque incestu alio; nisi is verus,
11. Consummatus,
12. Scienter,
13. Et voluntariò etiam commissus sit.
14. Ut is notorius sit, non exigit Jus:
15. Cui hac in re consuetudo ex parte derogavit.

I. **C**ognationi Naturali & Affinitati, contractæ mariti & uxoris conjunctione conjugali, hic præmittitur Affinitas orta ex commercio carnali illicito cum consanguinea uxoris aut sponsæ: quæ matrimonio contrahendo & contracti ului variè obstat. Primò enim casu, quò maritus incestum committit cum consanguinea uxoris suæ, huic, antiqùò Jure spectatò, quartò vel proximiori gradu conjunctæ, arg. *c. Non debet 8. de Consang. & Affinit.* matrimonium quidem, quod ab ipsis antè legitimè fuit contractum, non dissolvitur, maritus tamen cum uxore sua contrahit affinitatem, ipsi (seclusâ dispensatione) auferentem jus exigendi debitum conjugale, *c. 1. & c. Transmissa 4.* licet hoc uxori suæ exigenti reddere teneatur, *c. cit. & c. fin. Glossa in c. 1. cit. V. Petere, & in c. fin. cit. V. Exactus, Sylvester V. Matrimonium 8. q. 15. Covarruvias p. 2. de*

*Sponsal. cap. 7. §. 2. n. 6. Sanchez Lib. 7. de Matr. disp. 15. n. 6. & Pontius Lib. 6. de Matr. cap. 13. n. 8. Dixi, antiqùò; quia novissimo Jure S. Synodi Trident. ex copula fornicaria ortæ affinitatis impedimentum non porrigitur ultra gradù secundum *Sess. 24. cap. 4. de Ref. matrim.* ut jam maritus à conjugalis debiti exactione non impediatur: nisi cum uxoris suæ consanguinea illi primò vel secundò gradu conjuncta, sit fornicatus, ut cum Sab. *V. Matrimonium n. 7. & aliis observat Sanchez cit. n. 4.**

Secundò, eòdem casu, tam maritus uxore suâ mortuâ, quam istius consanguinea & mariti complex à matrimonio cum quacunque alia persona contrahendo impediuntur, *can. Concubuisi 32. q. 7. c. 1. c. Veniens 2. & c. Transmissa cit.* in peenam gravissimâ irreverentiæ matrimonii Sacramento & injuriæ conjugii illatæ *cit. Sanchez num. 3. & Pirhing ad hanc Rubric. n. 2. & 3.*

Tertiò, ab eo etiam, qui incestum cum uxoris suæ jam defunctæ consanguinea committit, alterius matrimonii contrahendi jus amitti, ex *c. Transmissa cit.* cum Gaëta *in can. Ad limina 30. q. 3. §. 4. n. 295. desumit cit. Sanchez n. 12.*

Quartò, casu quò sponsus fornicatur cum consanguinea suæ sponsæ de futuro, isti hodie saltem primo vel secundo gradu conjuncta, inducitur Affinitas dirimens matrimonium contrahendum imprimis inter sponsum & ipsius sponsam ceterasque consanguineas carnaliter cognitas consanguineas, ei primò vel secundo gradu conjunctas; ut ad eò, quæ inter sponsum & sponsam intercedebant, sponsalia dissolvantur, *cc. Veniens 2. & p. Pannonit. & Alexand. de Nevo in c. 2. cit. n. 2.* Deinde inter consanguineam carnaliter cognitam & consanguineos sponsum, huic primò vel secundo gradu conjunctos etc.

etos *cc. cit.* junctò Tridentinò *cap. 4. cit.* ubi Barbofa *n. 5.*

5. Quintò, eòdem casu, si confanguinea, quæcum sponsus fornicatus est, sponsa primò gradu conjuncta, hoc est, ejus mater, filia, aut soror est, sponsus istiusque complex confanguinea contrahunt impedimentum, ipsis conjugium cum quacunque persona contrahendum illicitum reddens, ut colligitur partim ex *cc. cit.* partim ex decreto S. Synodi Tridentinæ, publicæ honestatis impedimentum, inter sponsum & sponsæ confanguineos ortum ex sponfalibus de futuro, ad primum gradum reducens *Sess. cit. cap. 3. de Ref. Matr. Gaëta cit. §. 4. n. 408.* Gutierrez de *Matr. cap. 87. n. 8.* & Sanchez *cit. disp. 15. n. 5.* Probabiliter tamen impedimentum hoc perpetuum non est; sed solummodo durat, quamdiu vivit complicum uterque; ut ad eò istorum alterò mortuò matrimonium inire superstes licitè possit, ut cum Panormit. *in c. Duo pueri 12. de Despons. impub. n. 7.* & Alex. de Nevo *ibid. n. 9.* docent *cit.* Covarruvias *cit. p. 2. cap. 6. pr. n. 4.* & Sanchez *n. 5.* argumentò à contrario ductò ex *c. cit.* verbis, *Neuri, vivente altero, dabitur licentia contrahendi.*
- Iis etiam casibus, quibus contra sacrorum Canonum prohibitionem, complice vivente, conjugium inire maritus aut sponsus præsumeret, hoc quidem, quod jure aliquo irritatum non reperitur, valore non destitueretur, ejus tamen initi usus illicitus foret; ut conjugale debitum conjugi exigenti reddere duntaxat, non etiam exigere ab eo posset, *cit.* Covarruvias *cap. 7. §. 2. n. 5.* Sanchez *n. 1. §. 12.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 2. §. 5.* Pro dictorum confirmatione occurrendum est
7. Dubio, an impedimentum hoc etiam contrahatur ab uxore & sponsa de

futuro carnaliter delinquentibus cum confanguineis mariti vel sponsi. Ratio dubitandi est; quòd *cc. cit.* omnibus sermo sit de viris: iisque in hos contitutæ pœnæ ad fœminas non sint extendendæ: sicut pœnis, in viros raptos fœminarum, à Tridentino *Sess. cit. cap. 6. de Ref. Matrim. latis*, virorum raptrices fœminas non affici, cum Claro §. *Raptus n. 6.* Deciano *Tract. Criminal. Lib. 8. cap. 7. n. 27.* & aliis docet Farinac. *Prax. Criminal. quest. 145. n. 41. §. 42.*

Sed verius dictò impedimento ejusmodi incestuosas fœminas, perinde ut viros, obnoxias esse, cum Sylvestro *V. Matrimonium 7. q. 6. d. 3.* Gaëta *in can. Ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 295.* Gutierrez *cit. cap. 87. n. 3.* nemine in contrarium allegatò, docent *cit.* Sanchez *n. 2.* & Perez *disp. 23. f. 5. n. 2.* propter textum *can. Quedam 19. can. Si quis viduam 20. ibi, Si qua cum duobus fratribus seu cum patre & filio, 32. q. 7. §. can. Si quis cum Matre, 34. q. 2.* de ejusmodi fœminis incestuosis idem disertè, & meritò statuentes; quia eadem ratio est mariti & uxoris, sponsi & sponsæ; cum incestus crimen æquè frequens sit in utroque sexu, & ab utroque eadem injuria matrimonio & conjugii vel sponso inferatur: in correlativis autem, ut sunt maritus & uxor, sponsus & sponsa, quando eadem utriusque ratio est, dispositum de uno, etiam de altero dispositum censetur, *arg. l. fin. C. de Indict. vid. ut eruditè ostendunt Everard, Legal. arg. loco à Correlativis, n. 8.* & Barbofa *Axiomat. Juris 61. n. 1.* Unde corrui ratio in contrarium allata.

Majus dubium est de incestu, commisso cum primi aut secundi gradus confanguineâ propriâ; eò enim etiam matrimonium cum alia contrahendum impediri, cum Glossa *in can. de Incestu 35.*

E e 3

q. 3. Alex.

q. 3. Alex. de Nevo in o. *Veniens cit. n. 7.* Gaëta *cit. §. 4. n. 295.* Navarro *Manual. cap. 22. n. 74.* & non paucis aliis volunt Pontius *Lib. 6. cap. 13. n. 10.* & Palao *Tract. 28. disp. 4. p. §. 2. n. 5.* pro sua hac opinione allegantes *can. de Incestis, can. Si quis viduam cit. & can. Si duo 35. q. 6.* quibus & *can. fin. ibid. q. 8.* ejusmodi incestuosus conjugii spem omnem non obicere præcisam volunt. Neque hoc immeritò; quia incestus cum propria consanguinea gravior est, quam commissus cum consanguinea sponsæ, aut etiam uxoris.

Sed neque *citt. textus*, neque ratio ista intentum evincunt. Illi quidem; quia prioribus conjugium inter incestuosas duntaxat, non etiam inter alias personas, prohiberi desumitur ex *can. de Incestis cit.* illicitam conjunctionem simul interdiciente, & ineundi melioris conjugii libertatem concedente, ut *ibi* advertit Barbosa *n. 3.* Non magis id probat *can. fin. cit.* quia eò incestuosus matrimonii spes ideo solum adempta est; quòd insuper habitâ Ecclesiæ monitione in flagitio contumaciter perseverarint, Sanchez *l. cit. n. 17.* & Zæsus *ad hanc Rubric. n. 9.* Ista verò sive ratio; quia, licet incestus cum propria consanguinea magis peccaminosus, minus tamen injuriosus est matrimonio & uxori vel sponsæ, quàm si cum istarum consanguinea committatur; cum his enim commissus inducit affinitatem, privantem jure debiti conjugalis à propria uxore exigendi: & dirimentem matrimonium cum sponsa sua contrahendum.

9. Quare melius cum *citt. S. Thoma art. 5. Turrecremata n. 2. Sylvestro q. 6. d. 3. Carerio de Sponsal. Lib. 5. cap. 22. Covarruvia de Sponsal. p. 2. cap. 6. initiò n. 4.* & aliis, incesto cum propria consanguinea commisso, conjugii cum

alia ineundi impedimentum regularitèr induci, negant Henriquez *Lib. 1. r. cap. 2. §. 4. pr. cit.* Sanchez *n. 16.* & Barbosa *in can. De incestis cit. n. 2.* cum; quòd hujusmodi incestuosi à matrimoniis nulli expressè arceantur: tum verò; quòd Jura incestum cum uxoris, aut in eo perseverantiam cum propria consanguinea, ejusmodi spei ademptione plecentia, ad incestum cum propria consanguinea, cum contumaciâ & potestatis Ecclesiasticæ contemptu non conjunctum, non sint extendenda, *arg. Reg. l. Factum 155. ff. de R. I. & Reg. Odis 15. in 6.*

Porro, ut initiò relata conjugiorum impedimenta contrahantur ex communi DD. sententia necessarium est Primò; ut incestus commissus sit cum uxoris vel sponsæ consanguinea vera: non solum cum cognata ejus spiritali vel legali; quia neque cum tali commissus propriè incestus: neque impedimenta illa etiam incestu improprie dictò induci, Jure expressum: neque à propriè dicto ad hunc extensioni est locus, *arg. l. Factum cit. §. 2. Glossa in Reg. In panis 49. in 6. & à Castro Lib. 1. de Lege Pennali cap. 7. docum. 3.*

Secundò; ut incestus sit consummatus, hoc est, per carnalem copulam ad generationem proles ex se aptam perfectus, *can. Extraordinarie 35. q. 2. & 3.* ut ad hunc textum notant Glossa *V. Impedire* Archidiacon. *n. 3.* Bellamera *n. 2.* & Barbosa *n. 1.*

Tertiò; ut casibus memoratis impedimentum, conjugium cum quacunque persona contrahendum impediens: uti & privatio juris exigendi debitum conjugale inducatur, requiritur; ut incestus cum mariti vel uxoris, sponsi vel sponsæ consanguinea vel consanguineo commissus sit scienter, hoc est; ut maritus aut sponsus se cum hujusmodi consanguinea,

fanguinea, & hæc se cum consanguinea suæ marito vel sponso peccare non ignoret; quod *c. 1. cit.* clarè est expressum; cum enim hujus ignorantia ab incestus culpa excuset, *can. Inebriaverunt, 15. q. 1.* etiam eximet ab incestus pœna: quæ culpa debet respondere, *l. Perspicendum 11. ff. Et c. Felicitis 5. V. Illud, de Panis in 6. Farinac. Prax. Criminal. q. 17. n. 9. & Sanchez cit. disp. 15. n. 9.*

13. Quartò; ut idem impedimentum & privatio contrahatur, exigitur; ut incestus sit voluntarius: non vi extortus; cum enim, quæ vi oppressa & corrupta est, vacet culpa, culpæ etiam pœnam evadet, *l. Et V. cit. Gutierrez cap. 87. n. 12. Sanchez n. 10. & Barbosa in c. Discretionem 6. n. 2.*

14. Quintò aliqui exigunt; ut incestus publicus sit & notorius Juris aut Facti notorietate, propter textum *c. De illo 3. ubi*, sine ejusmodi incestus notorietate matrimonium impediri, non permittitur. Sed perperam; quia, licet hoc in foro externo ita se habeat, in interno tamen ferè sicut cætera occulta, sic etiam relata impedimenta, quantumvis notoria aut publica non sint, conjugii

obstare, cum Glossa in *can. Qui dormierit 21. V. Neutram, 32. q. 7.* rectè doceat *cit. Gutierrez n. 18. & Sanchez n. 13. & 14.* cum; quod impedimenta ista non officio judicis, sed ipsò Jure infligantur: tum verò; quod incestus crimen, sicut occultè committitur, sic ferè semper maneat occultum; & propterea, si ejus notorietas, requireretur, impedimentum rarissimè contraheretur.

Pro coronide probè notandum illud est; quod, licet privatio juris exigendi debitum conjugale, quod à conjugè incestuoso: & impedimentum dirimens matrimonium, quod à sponso cum sponsa consanguinea peccante contrahi, est dictum, moderno etiam usu recepta sint, impedimentum tamen, matrimonium cum alia contrahendum impediens, verisimiliùs non-usu seu Consuetudine contraria sit sublatum, ut cum Navarro *Manual, cap. 22. n. 75. & aliis docent cit. Sanchez n. 2. & Perez disp. 23. de Matr. f. 5. n. 8.* Quare, nisi in aliqua provincia vel diocesi ejus usum vigere constet, pœnitentes incestuosi, præsertim juvenes à matrimoniis non facilè sunt arcendi.



TITULUS XIV.

De Consanguinitate & Affinitate.

Sive antiquitatem originis, sive usûs frequentiam spectemus, inter Conjugiorum Impedimenta principem locum obtinet Cognatio Naturalis sive Consanguinitas: cujus & ex conjugali copula ortæ Affinitatis natura & vis hæc Rubricâ declaratur.

ARTICULUS I.

De Gradibus Consanguinitatis, Conjugia dirimentibus.

SUMMA.